

*Harm. suâ cap. CCXVI. Quem vide. (9) Seorsim se manifesta-
vit Jacobo, qui aliàs frater Christi dictus fuit, eò quod ex Ma-
ria Virginis sorore, matertera Christi natus esset. Hanc ap-
paritionem solus Paulus expressit 1. Cor. 15, 7. eamque antece-
denti postposuit. Quem etiam hâc in parte secuti sumus,
cumei tanquam selectissimo Dei organo fides haudquaquam
sit deroganda, licet omnes Evangelistæ de eâ taceant; quip-
pè non omnia, ut suprâ monitum, ab illis conscripta, & in
libros digesta sunt, quæ contigerunt. Tandem etiam (10) ante
Ascensionem ipso Ascensionis die cunctis Apostolis in monte Oliveti
apparuit, Act. 1. cap. Conf. Luc. 24, 50. 51.*

VI. Ar-
gum. ab
absurdis.

§. 15. Deniq; pro Resurrectionis veritate militat etiam absur-
dorum graviorum, ex ejusdem negatione fluentium, copia. Se-
queretur enim, ut potiora tantum brevissimè attingamus, indè
(1) Unionis personalis solutio, quæ tamèn Nestorianismum sapit
ac Samosatensismum. (2) Redemptionis plenaria destructio: Pro-
missus enim erat generi humano Redemptor, qui non tantum
moriendo satisfaceret, sed & per mortem destrueret eum, qui mortis
habebat imperium, diabolum, & liberaret eos, qui timore mortis
per totam vitam obnoxii erant servituti, sublimior factus ipsis cæ-
lis, & ad dextram Patris pro electis suis intercedens. Vide Ebr. 2, 14.
& seq. Eph. 1, 20. & seq. Rom. 8, 24. &c. Quod si ergo non
resurrexisset, neque etiam victor mortis & diaboli audire
posset. (3) Vana & falsa essent omnes promissiones divine de Chri-
sto & regno ejus late, v. gr. Psalm. 110. per totum ferè. Dan. 7,
14. Psalm. 2, 6, 7, 8. Luc. 1, 32. 33. & infinitæ aliæ. (4) Vera esset
illatio illa Paulina: Si Christus non resurrexit, fidei nulla habetur
certitudo; vana enim esset prædicatio Apostolorum, quâ contrari-
um asseritur; vana fides nostra, quâ idem creditur; hereremus ad-
huc in peccatis; falsi testimonii etiam arguerentur Apostoli, qui id-
ipsum prædicarunt, &c. 1. Cor. 15, 14. & seqq. Tot deniq; & infini-
ti martyres, qui pro Christo & fidei Christianæ confessione
pericula varia, variosque cruciatus, imò mortem subierunt,
quotquot item in fide Christi mortui atq; resuscitati obdormierunt,
hi, inquam, singuli miselli homines miserabili, eheu! errore fa-
scinati fuissent, ut mortē pro hâc fide, non fide, passi, & per consequens